



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibus Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Calvinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

22. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

conuitia diuertere, in quibus se multò plus valere norunt quàm in argumentis. De Primatu Petri ex Scripturis Euangelicis perspicuè & copiosè demonstrato, vide operis nostri de Princip. fidei Doctrinal, lib. 6.

22. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Versionis
nouitas af-
fectata.

VANUS Erasmus, & post eum Beza, vertunt hic, *Qui sustinuerit*: & Marc. 13. vbi vulgatus interpretes vertit, *Qui sustinuerit*. illi vertunt, *Qui perseuerauerit*, quum in Græco textu utrobique idem sit verbum, ὁ ὑπομείνας: videlicet vt vulgaram versionē quasi Ioannes ad oppositū quoquo modo reprehenderent. Nam Beza ad Matth. cap. 24. ver. 13. vbi eadem sententia hic repetitur, versionem vulgatā (quam ipse sequutus est Marc. 1.) apertè reprehendit, dicens non ὑπομείνας, sed ἀν-
αξίσησθαι perseverandi virtutem significare. In quo lectoris imperitia turpiter abutitur. Ipsa enim lexica græca pluribus exemplis docent ὑπομείνας non minus propriè & frequenter perseverantiam, significare quàm patientiam.

38. *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.*

Versionis
Beziana
ineptia.

THEODORUS Beza circa horum verborum receptissimam versionem, omnes hactenus interpretes corrigit, & nodum in scirpo quaerit, vt aliquid in Catholica disciplina arrodat. Illud, *Qui sequitur me*, ἀνοδῶν δὲ ὀπίσω μὲν, vertit, *Qui sequitur me à tergo*. Et causam addit. Sic (inquit) interpretatus sum, quia quum non satisfecerit Evangelista verbum ἀνοδῶν δὲ sequi, sed addendum aliquid præterea iudicavit, hoc quoque putavi-
mus necessariò exprimendum, quod à vetere interprete & ab Erasmo fuit neglectum. Multi enim se Christum sequi dicunt, quum illi soli sequantur qui à tergo sequuntur, id est, qui illum verbo suo præeuntem possunt ostendere. Quare qui Deum colunt cultu à se excogitato, intelligant sese non sequi Christum, sed illi præire velle. Hæc ille, varios religiosorū in Ecclesia Catholica ordines, aut etiam mortificationes voluntarias taxans, quasi cultus priuatim excogitatos; nullum autem Dei cultum probans, nisi qui in verbo Dei scripto expressè mandetur: hoc enim est, *Christum verbo suo præeuntem posse ostendere*. Solent enim hæretici ex industria pestifera sua venena obscurius potrigere, vt à suis quidem optimè intelligantur, ab ortho-
doxis

Hæretico-
rum con-
suetudo.